



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

Sectio V. De decimis novalium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

## SECTIO V.

## De decimis novalium.

## §. I.

*Ad quem pertineant decima novalium, spectato jure communi?*

**N**Ovale in ordine ad decimas, dicitur ager v. g. de novo ad cultum seu culturam redactus, de quo non existat memoria, quod aliquando cultus fuerit. *c. Quid per novale 27. de V. S.* quæ autem terra, aut prædia semel sunt novalia, semper censentur novalia, quoad immunitatem à solvendis decimis, si privilegiatus v. g. sit aliquis, ut de novalibus suis nullas decimas solvat, uti probatur *ex c. m. de privileg.* independenter tamen à tali exemptione, novalium decimæ spectato jure communi ad eam Parochiam pertinent, intra cujus fines prædia de novo culta sunt sita, prout deciditur *in c. Quoniam 13. h. r.* cum enim decimæ novalium sint prædiales, consequenter eandem obligationem habent, quam habent alie decimæ prædiales. Quod si verò intra Diocæsin quidam novalia excolantur, non tamen intra fines certæ Parochiæ, tum decimæ eorum, ad Episcopum pertinent, qui aliter quidam Ecclesiæ applicare eas potest, vel suis usibus reservare *c. quoniam 13. h. r.*

§\* \* §

Compend. Piribing.

## §. II.

*An privilegium de non solvendis decimis extendatur etiam ad novalia, vel non extendatur?*

**P**ROBabilius est, quod privilegium absolute concessum de non solvendis decimis ex propriis prædiis, etiam extendendum sit ad novalia, post concessum privilegium exculta, uti colligitur *ex c. Ad audientiam 12. h. r. & ex c. Ex parte 10. & 27. eodem.* quia verba generaliter & indefinite loquentia secundum propriam eorum significationem, de omnibus prædialibus decimis intelliguntur, quæ nomine etiam decimæ novalium veniunt, nisi enormis læsio Ecclesiæ Parochialis, contra quam hæc à decimis solvendis immunitas conceditur, aliter intelligi talia verba velit.

## §. III.

*An privilegium percipiendi decimas etiam ad novalia se extendat?*

**P**RIvilegium percipiendi decimas, ex prædiis ad Ecclesiam Parochialem de jure pertinentibus, non extenditur ad decimas novalium, quæ intra fines talis Ecclesiæ post concessionem privilegii excoluntur, nisi harum etiam decimarum in concessione privilegii expressa mentio fiat, prout sumitur *ex c. 2. h. r. in 6.* cum tale privilegium velut odiosum, & præjudicans Ecclesiæ Parochiali v. g. restringendum potius videatur, quantum verborum proprietas patitur, ut non extendatur ad futura, sed præsentia tantum prædia, quæ tempore concessi privilegii decimabilia fuerunt. *Ex*

Bbb

quarta

quamvis privilegium negativum, non solvendi decimas, absolute concessum, etiam ad novalia se extendat, hoc tamen de privilegio affirmativo, percipiendi decimas, dici non potest, ob majorem illius præ hoc universalitatem, quam habet negatio præ affirmatione, & majus præjudicium Ecclesiæ: Quod si verò privilegium alicui concedatur, decimas ex novalibus etiam percipiendi, qui antiquas decimas in tali loco percipere solet, non debet illud extendi ad decimas novalium, quas alij tempore concessi privilegij possidebant, tanquam jure sibi debitas, sed intelligi debet tantum de illis novalibus, quæ post impetratum privilegium sunt, & secundum illam quantitatem, in qua antiquas decimas percipit *c. statuo 2. h. t. in 6.* Ex quo *c. §. statuimus* insuper patet, quod privilegium tale in casu, quo antiquæ decimæ percipiuntur ab aliquo, ad decimas novalium percipiendas concessum, extendi non debeat, ultra medietatem talium decimarum, quamvis antiquas decimas integras percipiant, ne nimium scilicet præjudicetur alijs Ecclesijs, ad quas de jure decimæ tales pertinerent.

#### §. IV.

*An præscriptio decimarum intra certum locum extendatur ad decimas novalium; Et an si fundus mutetur, ita ut v. g. ex prato fiat ager, maneat obligatus ad decimas solvendas, sicut ante?*

**Q**ui præscripsit decimas prædiales intra fines alicujus Parochiæ, non potest vi illius præscriptionis percipere

decimas novalium, postea intra eandem parochiam factorum, nisi ex rationabili causa ostendat illas ad se pertinere, quod sumitur ex *c. cum contingat 29. h. t.* qui enim non plus præscribitur, quam possideatur, novalia autem nondum habentur, quando antiquas decimas in tali Ecclesiâ talem præscriperat aliquis, ut sequenter præscribi non poterat decimæ ex talibus novalibus præstandæ, nisi fundus ille, aut terra illa etiam antea priusquam ad novale redacta esset, prædictarum decimarum nomine, glandes v. g. &c. persolverit, hoc enim in casu fundus ille jam ut decimabilis possessus præscriptus, in novale permutatus, decimas solvere deberet.

Quod si enim (quæ res questio hujus paragraphi est) fundus sit prædictus ad decimas obligatum mutetur, ita ut ex prato v. g. fiat ager &c. (quam mutationem potest facere fundi talis dominus pro arbitrio suo) decimæ prædictæ ex fundo taliter mutato eidem debentur, cui prius ex fundo tali decimæ prædictæ fuerunt *c. Commissum 4. h. t.* ut etiam, fertior si per mutationem talis fundus ille factus sit, fertior decimæ dari debeant) quamvis immutabilitas hujus terræ mutetur, ut per fructus ferat, manet tamen eadem substantia, eadem scilicet terra decimarum, consequenter, nisi consuetudo decimarum illorum, quos fundus mutatus nunc profert, abrogaverint, ex fructibus modò progenitis decimæ dari debent, quidem si per transactionem, vel privilegium, ex vineis v. g. debentur decimæ Ecclesiæ alicui, ex agro autem fuerit mutatio facta in vineas, consequenter

huic Ecclesie, jam ex vineis debentur decimæ, cui juxta factam transactionem, aut concessum privilegium sunt decimabiles vineæ, nisi per frequentes tales mutationes nimium pateretur Ecclesia Parochialis, cui in tali casu per imploratum etiam judicis officium succurri deberet.

## SECTIO VI.

De variis modis, quibus  
acquiri potest jus decimandi in  
alia Ecclesia, aut Parochia, vel im-  
munitas ab obligatione solvendi  
decimas?

## §. I.

An & qua ratione per consuetudi-  
nem acquiri possit jus decimandi,  
in aliena Ecclesia, aut Pa-  
rochia?

UT Ecclesia aliqua, monasterium, vel persona Ecclesiastica, jus acquirat percipiendi decimas, ex prædijs intra alienam parochiam sitis, per consuetudinem legitimè præscriptam obtineri potest, cum sint 18. & c. ad Apostolica 20. h. t. cum enim decimæ prædiales, absolute loquendo, non sint juris divini sed Ecclesiastici tantum, consequenter præscribi possunt ab illis, qui spiritualia possidere possunt (& quidem ut probabilior sententia habet, 40. annis cum titulo, vel tempore immemoriali, si sine titulo ab Ecclesia non Parochiali v. g. contra Ecclesiam non Parochialem præferantur) & qui in certa v. g. terra jus decimandi præscripsit, habet jus percipiendi decimas ex omnibus fructibus,

qui in illa terra nascuntur, nisi ex certis fructibus juxta receptam consuetudinem nullæ decimæ in illo loco solverentur, aut certum tantum genus decimarum, majores v. g. non autem minores, quæ semper Ecclesie parochiali solutæ fuerunt, præscripserit.

## §. II.

An & quomodo jus decimandi per  
transactionem, & quibus præterea  
modis acquiri possit personis  
Ecclesiasticis?

Q UOD transigere possint super decimis inter se parochi v. g. ita ut jus decimandi uni, vel alteri, vel utrique secundum diversas partes conveniat *exc. 3. & 9. h. t.* constat (modò in tali transactione nullum pactum Simoniacum interveniat) neque speciali tali transactioni, per privilegium exemptionis, à solvendis decimis, postmodum superveniens, derogatur, nisi expressâ mentione illi derogetur, prout sumitur *ex c. multiplici. 3. h. t.* cum non fuerit suæ intentionis, ut ait in relato c. Pontifex, per privilegium concessum, transactioni factæ derogare, & sic jus parti jam acquisitum adimere.

Potest autem super jure decimarum in arbitros etiam compromitti, ita ut per arbitrium, seu sententiam arbitrorum, cui partes stare debent, jus decimandi uni parti acquiri, alteri verò adimi possit, totum, vel ex parte & c. (intervenientibus saltem solemnitatibus ad alienationem requisitis) & potest etiam una Ecclesia jus suum decimarum, cum

B b b b 2

altera